MASTER NEGATIVE NO. 91-80241-2

AUTHOR: VICTORINUS, C. MARIUS

TITLE: MARII VICTORINI EXCERPTA DE ....

PLACE: HALAE

DATE: [1874]

Master Negative #
91-80241-2

COLUMBIA UNIVERSITY LIBRARIES
PRESERVATION DEPARTMENT

BIBLIOGRAPHIC MICROFORM TARGET

Original Material as Filmed - Existing Bibliographic Record

87V666 Victorinus, C. Marius.
P5 ~~Victorinus, Caius Fabius Marius, d. 370-~~
... Marii Victorini excerpta de orthographia edidit Henricvs Keil. Halae, formis Hendeliis [1874]
xii p. 30½ cm.

Academic programme, Halle.

412784

Restrictions on Use:

TECHNICAL MICROFORM DATA

FILM SIZE: 35mm REDUCTION RATIO: 14x
IMAGE PLACEMENT: IA (IIA) IB IIB
DATE FILMED: 9-17-91 INITIALS V.W.D.
FILMED BY: RESEARCH PUBLICATIONS, INC WOODBRIDGE, CT

AIIM

Association for Information and Image Management

1100 Wayne Avenue, Suite 1100
Silver Spring, Maryland 20910

301/587-8202

Centimeter

1 2 3 4 5 6 7 8 9 10 11 12 13 14 15 mm

1 2 3 4 5

Inches

1.0 1.1 1.25 1.4 1.6 1.8 2.0 2.2 2.5 2.8 3.2 3.6 4.0 4.5 5.0 5.6

INDEX SCHOLARVM

IN

VNIVERSITATE LITTERARIA FRIDERICIANA
HALENSI CVM VITEBERGENSI CONSOCIATA

PER AESTATEM

ANNI MDCCCLXXIV

A DIE XIII. M. APRILIS AD DIEM XV. M. AVGVSTI

PVBLICE PRIVATIMQVE

HABENDARVM.

INSVNT
MARII VICTORINI EXCERPTA DE ORTHOGRAPHIA
EDIDIT
HENRICVS KEIL.

HALAE
FORMIS HENDELIIS.

VNIVERSITATIS FRIDERICIANAE
RECTOR

RVDOLFVS HAYM

CVM SENATV
S. D.
CIVIBVS SVIS.

In Marii Victorini libris de arte grammatica edendis cum nuper tribus usus sim codicibus, in quibus solis nunc hi libri scripti leguntur, excerpta quaedam de orthographia, quae in quattuor codicibus Vaticanis sub finem quinti decimi saeculi scripta sunt, a me omissa esse dixi, propterea quod illorum tum, cum editionem parabam, copia facta non erat. quare ea quae postea inspectis Vaticanis codicibus de hoc excerptorum genere comperi hac scribendi occasione oblata proponam. quamquam enim ad fidem veterum codicum supplendam nihil, quod quidem alicuius momenti sit, ex recentissimis libris accedit, neque graviter ferendum esse puto quod ii ad editionem adhibiti non sunt, tamen ne illorum quidem rationem novisse omnino inutile est, praesertim in ea parte, in qua vel propter res a grammatico traditas vel propter plurima et gravissima scripturae vitia nihil quod ad fidem librorum manu scriptorum investigandam pertineat videatur neglegendum esse.

Accuratius autem de Vaticanis excerptis propter hanc maxime causam quaerendum existimavi, quod praeter haec nulla Marii Victorini memoria olim apud Italos fuit, neque quisquam illius libros usurpavit, antequam e Palatino codice primum a. 1527 ab Ioanne Sichardo pars primi libri, deinde a. 1537 ab Ioachimo Camerario totum opus ederetur. unus quidem, quod sciam, ante hanc aetatem apud Italos huius grammatici mentionem fecerat, Ioannes Pierius Valerianus, qui in castigationibus in Virgilium Romae a. 1521 primum editis saepius Marii Victorini praecepta de orthographia adfert et fragmenta quaedam illius de orthographia a Iano Parrhasio sibi dono data esse scribit in Verg. bucol. 2,59. libellum de orthographia dicit eadem in Aen. 5,568. praeterea, nisi quid me praeteriit his locis Victorinum appellavit, in bucol. 2,53. 3,72; 91. 6,7. georg. 3,72; 92; 147. Aen. 1, 387; 611. 2, 663. 3, 135; 280. 5, 340; 752. 7, 636; 821. 8, 675. 9, 192. sed ne is quidem plura habuit, quam quae nunc in Vaticanis libris leguntur. nam quaecumque ille adscripto Victorini nomine exhibuit cum his, uno quidem loco excepto, in quo paulo plura legisse videtur, plane consentiunt. iam vero quoniam Parrhasium Bobienses latinorum grammaticorum codices tractavisse constat, haud

*

improbabile esse videtur et hunc fragmenta illa, quae Valeriano dono dedit, e Bobiensi codice descripta habuisse, et ex eodem Vaticanos codices ductos esse, si modo illi post eam aetatem, qua Bobienses codices inventi erant, scripti sunt. illud quidem constat, ex iis codicibus quos nunc habemus, quos nemo tum noverat, haec excerpta facta non esse.

Quattuor igitur codices sunt, in quibus excerpta quae dixi nunc scripta inveniuntur, Vaticani 1493. 2725. 2930, Urbinas 452. quos libros cum olim in indice codicum Vaticanorum (anal. gramm. Halis a. 1848) breviter indicavissem, accuratiorem eorum notitiam primum mihi paravit Ludovicus Ieepius, qui libris inter se collatis et paucis lectionibus depromptis unum idemque genus excerptorum in omnibus inveniri, ceterum Vaticanum 2725 paullo accuratius quam reliquos scriptum esse mihi indicavit. deinde Henzenus, qui liberaliter haec negotia in se suscipere et administrare consuevit, eum ipsum librum cum mea editione conferendum curavit. itaque nunc, quo facilius intellegeretur quae condicio horum excerptorum esset, primum omnia sic, ut in uno codice Vaticano 2725 scripta sunt, exhibui et adscriptis in margine numeris paginarum et versuum meae editionis significavi, quo quidque pertineret. in adnotatione autem subiecta paucis locis, in quibus reliquorum codicum scripturam adnotatam habebam, illorum discrepantiam indicavi eaque quae a Valeriano citata erant addidi. deinde de iis locis, in quibus maxime memorabiles esse videbantur excerptorum lectiones, separatim disputavi. de universo autem genere excerptorum hoc facile apparet, non solum veterem Victorini codicem, ex quo ea olim facta sunt, iis libris quibus nos utimur similem fuisse, sed etiam summa neglegentia omnia collecta esse. quo factum est ut et pauca et admodum exilia sint, in quibus illa meliorem scripturam praebeant. eaque omnia ita comparata, ut coniectura inveniri potuerint.

MARII VICTORINI GRAMMATICI NOBILISSIMI DE ORTHOGRAPHIA VEL ANALOGIA LEGE FELICITER

7,35 Nunc res admonuit ut non absurdum uideretur de ortographia paucis scribere
uel analogia. erit itaque in principio dicendum quem ad modum antiqui scripserint
dehinc quid nunc debeamus obseruare.

8,1 Consonantes litteras non geminabant ut his anius luculus memmius et coetera
his similia sed supra quam geminari oportebat sicilicum imponebant cuius figura
haec est ɋ. erat autem signum geminandi sicut apparet in multis ueteribus adhuc
ita scriptis libris. iidem uoces quae pressiore sono huius litterarum. s. dicuntur ut
ausus causa fusus odiosus per duo ss scribebantur. iuxta autem non imponebant
cm. deinde nec Alcmenam dicebant nec Tecmsam sed Alcumenam inde Alcumeo et
Alcumena tragoediae donec Iulius Caesar Uopiscus et Strabo qui et sesqueculus
dictus est primus de Tecmsa inscripsit tragoediam suam et in tragoedia (scena) pronun-
tiari iussit. Accius uero cum scriberet anguis anguies angules imponebat. item
nec z litteram nec y in libro suo retulit quia quae ante fecerant Naeuius et Liuius
quum longa syllaba scribenda esset duas uocales ponebat (?) praeter quam quae
in i littera inciderant. hanc enim per e et i scribebant. Cn. Pompeius et scribebat
et dicebat cadamitatem pro calamitatem. Nigidius Figulus in commentariis suis
9,1 nec k posuit nec q nec x. idem h litteram non esse sed notam adspirationis tra-
didit. Licinius Caluus q litteram non est usus . consultum senati ipse scribit et ad
C. Caesarem senatus consultum . idem optumus (i) maxumus scripsit non ut nos per
u litteram . diuus Augustus genetiuo casu huius domos meae per o non per u
litteram scripsit . Messala Brutus Agrippa pro sumus simus nos paucioribus litte-
ris scribimus quam antiqui scribebant ut narus nauus nosco nam illi has uoces et
similes istis g anteposita scribebant cuius consuetudinis nos uestigia retinemus cum
scribimus ignarus cognatus ignauus cognosco . nec solum litteras eximimus sed

6 *Pier. Valerian. in Verg. Aen. III 135* ut Victorinus ait, antiqui consonantes geminare non consuerunt: ut in his Annus, Lucullus, Memmius, et his similibus. Supra vero consonantem, quam geminari oportebat, Sicilicon imponebant: cuius figura haec est Victorino: An'us, Lucu'lus, Mem'ius: idque signum geminandi apparere in multis veteribus adhuc scriptis libris attestatur 9 litterarum *videtur significari nota quae est in codice,* lrz, *quamquam expectabatur potius* litterae 16 ponebat *dubito num in codice scriptum sit* . ponebant *codices Marii Victorini, quibuscum excerpta hoc loco consentiunt* 23 *Pier. Valerian. in Verg. Aen. II 663* In antiquis pene omnibus exemplaribus gnatum cum g littera praeposita legas: et ita veteres scribere solitos ostendit Victorinus, dum dicit: Nos quaedam paucioribus litteris scribimus, quam antiqui scribebant: ut narus, natus, navus, nosco: nam illi has voces et similes istis g interposita scribebant. Cuius rei vestigia nos retinemus, cum scribimus, ignarus, cognatus, ignavus, cognosco.

uoces quoque ipsas commutamus ut qum dicatur nemo et nullus ex quibus prior uox
ad homines solos pertinet nemo quorum genetiuum casum aliter quam nos ueteres
extulerunt nemini enim et nullus dixerunt. item ad bone fruges quaeque nos bone
frugi quia nullum nomen singulare latinum per omnia genera numerosque omnes 15
et per casus i litteras terminat tamen omissa parte eius solum frugi scribimus . sed
et nos nunc et aduentum et apud per d potius quam per t (et r *in marg. add.*) scri-
bimus aruentum et apur et linguam per l potius quam per d praesidium q, potius
per d quam per l . hactenus autem et hodie non ut antiqui hac et tenus et hoc-
cedie et illum potius quam illo et pro lauabro potius labrum . simul non semel et 20
Alcmenam quam Alcumenam et Alcmeonem potius quam Alcumeonem, Tecmesam
potius quam Tecumesam interposita u . et ubi duarum consonantium sonus percutiat
aures ut in his sabbatis sams effert effugit fallit gallus uallus macellus nullus pallas
pallium per duo l sicut per duo n annum Cinnam et similia sic per duo p appa- 10,1
ratum lappa per duo r Arruntium uarrum currit ferrum item per duo ss assiduum
cassum fessum et per duo tt Attius Vettius et similia . nam ut color oculorum
iudicio sapor palati odor narium dinoscitur ita sonus aurium arbitrio subiectus est.
clarorum autem uirorum quos supra memoraui consuetudinem in libris eorum repe- 5
rire possumus.

Sacratum debet dici non secratum . sacratum autem in compositione consecra-
tum facit per se et non per sa sicut et castus facit incestum non incastum . pro-
miscuus etiam promiscue facit non promisce u enim perduci (?) debet sicut assiduus
assidue facit.

Quot quotiens numerum significat per t scribendum erit non per d . ut tot et 10
quot . sic et quotiens erit ad ut ad mortem si fors et ad quem sic roseo.

Quae uoces z litterae sonum exigunt eas per z sine ulla haesitatione scribere 26
debemus et quae per y sicut exigit ratio potius per y quam per u ut herytus hylas. 11,1

Degressus per e quam per i degredi enim est ex superiore loco descendere,
digredi ex aliquo loco discedere.

Nostri latini cum litteris uterentur quas a graecis acceperant A B C D E I K 5

3 nemini enim et nullus] *Vat. 1493*, neminis enim et nullius *Urbin. 452*, nemini enim et nulli *Vat. 2930* 5 tamen] *Vat. 2930 Urbin. 452*, tantum *Vat. 1493* 5 sed et nos] *Urbin. 452*, sed nos *Vat. 1493. 2930* 6 per t scribimus *Vat. 1493 Urbin. 452*, per T et scribimus *Vat. 2930*. *Pier. Valerian. in Verg. georg. III 92* Quod vero sequitur: Coniugis adventu, quod in antiquis aliquot codicibus per t notatum est atventu, Victorinus ait, desiisse nos per t scribere. 9 illum potius] *Vat. 1493 Urbin. 452*, illi potius *Vat. 2930* 10 potius quam Tecumesam interposita u] *Urbin. 452*, potius quam interposita u tecumesam *Vat. 1493* 14 *Pier. Valerian. in Verg. bucol. 6, 7* In Longobardico Vare semper unico r scriptum est, quod iam recipi video: tam etsi Victorinus, quo vitium hoc emendaret, duplici rr scribendum praeceperit: non secus ac Arruntium, currum, et furrum . *id. in Verg. Aen. III 280* In plerisque veterum exemplarium codicibus Accia duplici cc notatum inveni, et ita nomen proprium Accius, quod Victorinus per duo tt, Attium, ut Vettium, et huius modi quaedam alia scribi deberi contendit 21 perduci *dubito num in codice scriptum sit.* produci *codices Marii Victorini* 24 sic et totiens erit ut ad mortem si fors *Vat. 1493*, sic et quotiens erit ut ad mortem sic fors *Urbin. 452*

L M N O P Q R S T et graeci uocales habent totidem quot et nos A E I O U nam
I et *Y* postea sunt ab illis repertae. Sed i et o ternas habebant apud illos pote-
states ut e esset breue et productum i autem longum quodam modo sonat cum e et i
10 iunctum est et o similiter cum i longam et breuem faceret syllabam exprimeret
uocem quae apud eos per o et υ scribitur graeca in casu datiuo tam e litterae quam
o adiciebant i iuxta nostri ut apparet ex libris antiquis foederunt et ex legu qui
15 etsi frequenti transcriptione aliquid mutarunt tamen retinent antiquitatem . nam o
12,1 non solum pro breui et pro longa sed et pro u ponitur ut pro populos Romanus
ibi populus ubi piaculum ibi piacolon pro funus fonus item alia multa . apud grae-
cos autem fuisse circu ι et o non dubito . e autem duarum optinet uim breuis et
5 productae o uero pro breui et pro longa et pro u posita est eidemque litterae in
datiuo casu adiecta est iota . y quoque et suo sono posita est et subiuncta litterae
h ut apud nos quoque item adiecta litteris a et e facit sillabam posita est et bro
breui et pro longa quotiens consonanti subiecta est pro o et υ graeci sequebantur
10 sonum tantummodo litterarum . θ φ χ priusquam a Symonide inuenirentur expri-
mebant iuxta τ et iuxta π et iuxta κ adspirationis notam h ponendo. ζ autem uarie
nunc per κ et ς nunc per γ et ς item nunc per β ς nunc per π ς quibus nostri
ζ acceptam in fine suarum posuerunt reliquas autem ita scribunt ut a graecis sunt
15 traditae . y uero eodem ordine scriptum habemus quo illi tamen uirgula iuxta sicq
apud illos iunctum υ litterae o facit syllabam .υ. nostri etiam quotiens eiusdem
soni longa syllaba esset adiungebant o litterae. inde scriptum legitis lucetios mau-
tios et loumen et cetera . sed nec g quidem nec q latinus sermo introduxit ex
20 quibus q et fuisse apud graecos et quare desyderat functi uice litterae cognoscere
potestis si pontificum libros legeritis nunc enim apud graecos iuxta π est posita .
13,11 qum autem si fuerit aduerbium temporis per q et u siue unum siue duo scribatis
ut qum uel quum uel quum primum quum facerem at si fuerit coniunctio per c
ut cum gaio cum lucio.
18 Quoddam per q potius quam per c scribetis . at cum lo^c^quutus se^c^quutus per
20 c qumuis quidam praecipiant ad originem debere referri quia est locuttis a loquendo
secutus a sequendo per q potius quam per c haec scribenda . nam concussus cum

6 *Pier. Valerian. in Verg. bucol. 2,59* Praeterea Victorinus, cuius fragmenta quaedam de Orthographia mihi dono data sunt a Iano Parrhasio, observasse ait se antiquis libris, et in Legibus XII Tabularum: quae, ut eius verba ponam, tametsi frequenti transcriptione aliquid mutarunt, tamen retinent antiquitatem: o positum pro u. Ut popolos Romanus. Ubi enim nunc populus, ibi popolos. Ubi piaculum, ibi piacolon. Ubi funus, ibi fonus. Et ita pleraque alia 11 eademque *corr.* eidemque *codex* 22 *Pier. Valerian. in Verg. bucol. 3,91* Neque mirum multis in dictionibus c pro g positam esse. Quam litteram non fuisse longa annorum serie apud Latinos: inventam vero a Spurio Carbilio nova forma, et Scaurus, et Victorinus affirmant. *parum accurate Valerianus Scauro et Victorino tribuit quod apud Scaurum solum p. 2253 legitur* 25 *Pier. Valerian. in Verg. georg. III 347* In Romano codice quom hoc loco scriptum est, pro ut moris fuit apud veteres. Sed enim Victorinus in Orthographiae praeceptis ita monet: Cum autem, si fuerit adverbium temporis, per q et u, sive unum, sive duo scribatis: ut quum primum et qum facerem.

a quatio habeat originem et cocus a coquendo et cotidie a quoto die et incola ab inquilino attamen per c quam per q scribuntur.

Quicquam et quicquid et quocquod prima syllaba quotiens habuerit d idem 25
uos perducite et superponite c ne duae partes integrae esse uideantur.

Vultus et uulua et similia per duo v scribenda sunt. 15,1

Externum producte dici debet. Nonnunquam nunquam nunquid quanquam 15,15
unquam per n scribenda sunt. B F S P M V incipiente dictione precedentis prae- 16,4
positionis litteram mutant in m ut combit comfert compellit commemorat cōuellit 18,18
et quotiens uerbum sequens ab l r n commutat eam a qua uox incipit sequens ut 19,6
illic et corripit irruit. Perdit uero n litteram si sequens uerbum a uocali incipit ut coequat coemit coquit.

QUI FERUNT LITTERARUM REPERTORES. Repertores litterarum Cad- 23,14
mus ex Phenice in Graeciam et Euander ad nos transtulerunt A B C D G K L M N O P Q R S T X litteras numero sexdecim . postea quasdam Palamedes a Palamede adiectas et alias a Symonide adiectas implesse numerum uiginti trium grammatici praeterea Demetrius Phalereus Hermocrates ex nostris autem Cincius Fabius Gellius tra-
diderunt . ex quibus Cincius paucis inquit commutatis ut ad linguam nostram per- 20
uenirent . eas namque Cadmus ex Phenice in Graeciam inde ad nos Euander trans-
tulerunt . Aduerbia uero cum n scribenda sunt ut totiens quotiens . Sorix uel (?) saurix 23,24
auis tributa Saturno ab auguribus quia et tarditati et uetustati et senectuti conue- 26,7
nit nam et in ueteranis maxime uersatur locis et noctium est et noctis maxime
primae et iam tempestatis nuncius atque index parui laris . Forcipes quod formum 10
capiant aut de foro capiant foris autem status tam in foro quam in naui et torcu-
lari: ~ i *AENOI*

QUOD REPERTUM EST EX MARIO VICTORINO DE ORTOGRAPHIA VEL ANALOGIA FELICITER EXPLICIT.

7 *Pier. Valerian. in Verg. Aen. I 387* In Romano codice et aliquot aliis pervetustis: convolsae, per o syllaba media: ita revolsus: ita avolsumque humeris caput: ut similia. Praeterea Victorinus comvulsus, per m litteram scribi praecipit, qui v digammon eandem habere vim censeat, quam habeat b muta: parique ratione, si praecedat n ex aliqua compositione, in m mutari. *plura quam nunc in Vaticanis excerptis habentur hoc loco legit Valerianus, si modo accurate scripta sunt quae Victorino de v littera digammi loco posita tribuit.* 19 *Pier. Valerian. in Verg. bucol. 3,72* Quibus adstipulatur Caper Grammaticus, ubi dicit, Sine n scribenda sunt milies, centies, decies: totiens, et quotiens quum scribuntur, per n scribenda sunt. In cuius sententiam Victorinus etiam descendit, dum ait : Adverbia vero cum n scribenda sunt, ut Totiens, Quotiens.

Nullam auctoritatem habet quod ab initio excerptorum scriptum est p. 7, 35, *nunc res admonuit ut non absurdum videretur*, pro eo quod in veteribus codicibus legitur, *nunc quoniam res admonuit, non absurdum videtur.* et multa inveniuntur similia, in quibus is qui excerpta composuit non veterem lectionem ab ea quam nunc habemus diversam secutus est, sed ea quae scripta invenerat temere mutavit vel verba transposuit, p. 8, 4 *erat autem signum geminandi, sicut apparet in multis veteribus adhuc ita scriptis libris* pro *idque erat signum geminandi, sicut apparet in multis adhuc veteribus ita scriptis libris,* p. 9, 1 *h litteram non esse* pro *h non esse litteram,* p. 10, 5 *memorari* pro *nominari,* ib. *in libris eorum reperire possumus* pro *in libris reperire possumus eorum*, p. 10, 6 *dici* pro *scribi*, p. 12, 3 *vim* pro *vicem.*

P. 8, 1 *Consonantes litteras non geminabant, ut in his, Annius Lucullus Marcellus, Memmius. et ceteris his similibus, sed supra litteram quam geminari oportebat* [*scilicet*] *sicilicum* [*im*]*ponebant.* praeter ea quae neglegentia excerptoris praeterita sunt, *in, Marcellus, litteram*, recte omissum est v. *scilicet,* quod tamquam alienum ab hoc loco seclusi. videtur autem vetere errore propter sequens sicilici nomen additum esse.

P. 8, 5 *Iidem voces quae pressiore sono eduntur. ausus causa fusus odiosus, per duo s scribebant.* e Sichardi coniectura *eduntur* scripsi pro eo quod in libris est, *educuntur* . neque plura legisse puto excerptorem, qui scripsit *quae pressiore sono huius litterae s dicuntur, ut ausus.*

P. 8, 7 *Inde nec Alcmenam dicebant nec Tecmessam, sed Alcumenam et Tecumesam: inde Alcumeo et Alcumena et Tecumesa tragoediae, donec Iulius Caesar, qui Vopiscus et Strabo et Sesquiculus dictus est, primus Tecmessam inscripsit tragoediam suam.* de corrupta scriptura verborum, quae Ritschelio maxime auctore emendata exhibui, cum veteribus codicibus fere consentiunt excerpta, nisi quod recte scriptum servaverunt *Alcumeo*, pro quo *alcumeneo* in codicibus legitur. deinde cognomina Iulii Caesaris transposito pronomine *qui* ita scripta sunt, *Iulius Caesar Vopiscus et Strabo qui et Sesqueculus dictus est.* recte autem scribetur *Iulius Caesar Vopiscus, qui et Strabo et Sesquiculus dictus est.* Caesar Vopiscus dictus est a Varrone r. r. I 7, 10 et a Cicerone Philipp. XI 5, 11.

P. 9, 12 *Quorum genetivum casum aliter quam nos veteres extulerunt: nemini enim et nulli dixerunt . item † ad bonae fruges quoque, nos bonae frugi, quamvis nullum nomen singulare latinum per omnia genera numerosque omnes et per omnes casus i littera terminetur, tamen omissa parte eius solum frugi scribimus.* de genetivo v. *nemo* et *nullus* non videtur dubitari posse, quin recte in codicibus *nemini* et *nulli* scriptum sit, quamquam *nemini* ab aliis traditum non est, *neminis* a veteribus dictum esse multi rettulerunt . in iis quae sequuntur unum idque levissimum in tribus excerptorum codicibus rectius quam in veteribus libris scriptum est, *tamen,* cum et in his et in quarto excerptorum codice legatur *tantum* . in contrariam autem partem simili errore peccatum est in eo, quod pro *quamvis* in excerptis scriptum est *quia* mutatis inter se duorum vocabulorum compendiis *qū* et *qā*, quae ex antiquiore codice propagata, sicut alia in hoc genere complura, in Palatino codice saepius inveniun-

tur. reliqua in his quae de v. *frugi* scripta sunt in excerptis pariter atque in veteribus codicibus corrupta sunt. Marius Victorinus autem vel is quem ille auctorem secutus erat, cum diversae essent grammaticorum de illo vocabulo opiniones, eam probavit sententiam, quam Iulio Romano, ut videtur, auctore Charisius p. 105,1 attulit, ut *frugi* genetivo casu dictum esse putaret pro *frugis.* itaque cum pro *bonae frugis* olim dictum esset *bonae frugi,* sicut *nemini* et *nulli* pro *neminis* et *nullius* dictum esse voluit, post eain usu mansisse docuit ut omissa parte elocutionis solum *frugi* scriberetur. ad hanc autem sententiam restituendam cum plura temptari possint, neque certo dici queat, quid grammaticus scripserit, tamen facillima ratio videtur haec, *item bonae frugi quoque , nos, quamvis nullum nomen singulare latinum per omnia genera numerosque·omnes et per omnes casus i littera terminetur, tamen omissa parte eius solum frugi scribimus.*

P. 9, 16 *Sed nos nunc et adventum et apud per d potius quam per r scribamus, arventum et apur, et linguam per l potius quam per d, et praesidium per d potius quam per l.* verum esse videtur *scribimus,* quod excerpta praebent, non *scribamus*. deinde *et* ante *praesidium* in codicibus omissum est; *praesidiumque* habent excerpta.

P. 9, 18 *Hactenus autem et hodie, non, ut antiqui , hacetenus et hocedie : et illic potius quam illice.* corruptam codicum scripturam *hacettenus hocetdie* correxit Camerarius, *haccetenus hoccedie,* rectius Bergkius *hacetenus hocedie;* coniunctionem *et* ipse addidi. eadem fere leguntur in excerptis, *hacettenus et hoccedie.* deinde *et illic potius quam illice* mea coniectura quamvis incerta scripsi; *et ill potius quam illo* Palatinus et Parisinus habent, *et illum potius quam illo* Valentianus et excerpta Vaticana, non meliore fide, sed temere suppleto veteris scripturae defectu.

P. 10, 1 *Per duo r Arruntium barrum currit ferrum, item per duo s assiduum Cassium fessum, et per duo t Attius Vettius et similia.* ut *barrum* scriberetur pro eo quod et in veteribus libris et in excerptis legitur, *uarrum,* vel ordo litterarum, quem grammaticus secutus est, postulabat. *cassum* pro *Cassium* scriptum in excerptis non defenditur testimonio Quintiliani, qui 'Ciceronis temporibus paulumque infra' *caussae cassus divissiones* geminata s littera scripta esse tradit I 7, 20. sed recte *Attius Vettius* habent excerpta, cum *attius uattius* sit in veteribus libris.

P. 10, 10 *Quot, quotiens numerum significamus, per t, non per d scribendum erit, ut tot quot.* coniectura ante *quotiens* additum *quot* lectione confirmatur excerptorum. in reliquis non est cur codicum scriptura mutetur propter ea quae paullo aliter in excerptis scripta sunt, *quotiens numerum significat, per t scribendum erit, non per d, ut tot et quot.*

P. 10, 26 *Quae voces z litterae sonum exigunt, eas per z sine ulla haesitatione debemus scribere , et quae per y , potius , sicut exigit ratio, per y quam per u, ut Eutychius Hylas.* correcta codicum scriptura *eutychus* scripsi *Eutychius.* pro hoc in excerptis legitur *herytus.* ex quo conicere possis olim *Eurytus* scriptum fuisse.

P. 11, 3 *Degressus per e quam per i: degredi enim est ex superiore loco descendere, digredi ex aliquo loco discedere.* in codicibus omissum erat *est,* quod addidi;

et ita legitur in excerptis, si modo fidem habent quae de Vaticano codice accepi, quoniam hoc loco non sic, ut in reliquis, de quibus supra dixi, indicatum est ea quae in edito exemplari addita erant re vera in codice scripta esse.

Ea quae de litteris scripta sunt p. 11,5 sqq. in Vaticano codice magis etiam corrupta quam in veteribus libris leguntur. sed in his memorabilia sunt haec, p. 11, 14 *ut apparet ex libris antiquis foederum et [ex] legum , qui etiamsi frequenti transcriptione aliquid mutarunt, tamen retinent antiquitatem. nam o non solum pro brevi et pro longa, sed et pro u poni * ut pro populo Romano ibi populoi Romanoi et pro piaculum ibi piacolom* . ubi primum pro *foederum,* ut recte scriptum est in Parisino et Valentiano, *foederunt* habent excerpta Vaticana cum Palatino codice; deinde *etsi* eadem cum Parisino, *etsi* Palatinus, unde *etiamsi* ediderat Camerarius. postea in Palatino codice scripta sunt haec, *sed et pro u poni ut pro populus r ibi populus et ubi piaculum ibi piacolon,* in Parisino *sed et pro u poni ut pro populus rubi populos robi piaculum ibi* (corr. *illi*) *piacolon,* in excerptis Vaticanis autem *sed et pro u ponitur ut pro populus Romanus ibi populus ubi piaculum ibi piacolon,* quae Pierius Valerianus in Verg. bucol. 2, 59 a se mutata exhibuit, *o positum pro u. ut populus Romanus. ubi enim nunc populus, ibi popolos. ubi piaculum, ibi piacolon.* probabili autem coniectura verba ita emendari poterant, *sed et pro u ponitur, ut pro populus Romanus ibi popolos Romanos, et pro piaculum ibi piacolom,* nisi aliud exemplum se posuisse ipse Victorinus indicaret de i littera praecipiens p. 17, 18, *daticis autem casibus apud nos iuxta apponebatur ut antea vobis dixisse memini, cum populoi Romanoi pro populo Romano solitos priores scribere ostenderem.* itaque quod modo dixerat o et i litteras a veteribus in casu dativo iuxta positas esse, eius rei hoc loco exemplum posuerat *popoloi* vel potius *populoi Romanoi,* quod recte ita demum fieri poterat, si illud ipsum de o et i litteris coniunctis hoc loco repetitum erat, eaque causa fuit, cur post v. *poni* quaedam omissa esse suspicarer. quamquam ne illud quidem a neglegentia huius grammatici alienum est, ut diversarum rerum exempla ita coniunxerit, *sed et pro u ponitur, ut pro populo Romano ibi popoloi Romanoi.*

P. 12, 2 *Apud Graecos autem fuisse coniunctum i et o non dubito.* ex uno Parisino codice receptum est *coniunctum;* veterem corruptelam prodit Palatinus *ciocum* et consentiens cum hoc excerptorum scriptura *circum.*

P. 13, 10 *Hoc custodite, ut cum fuerit adverbium temporis, per q et u sive unum sive duo scribatis, ut qum primum et quum hoc facerem; at si erit coniunctio, ut cum Gaio, cum Lucio, per c scribi debeat.* de toto loco qui est de adverbio temporis *cum* in excerptis haec pauca relicta sunt, *quum autem si fuerit adverbium temporis per q et u sive unum sive duo scribatis, ut qum vel quum vel quum primum quum facerem, at si erit coniunctio per c, ut cum Gaio cum Lucio.* in quibus et *per q et u* recte scriptum est pro eo quod in codicibus legitur *per qu,* et in reliquis quaedam haud improbabilia sunt. rectius igitur haec ita scribenda erant, *hoc custodite ut quum, si fuerit adverbium temporis, per q et u sive unum sive duo scribatis, ut*

qum vel quum primum et qum vel quum hoc facerem; at si fuerit praepositio, ut cum Gaio, cum Lucio, per c scribi debeat.

In extrema parte excerptorum, in qua pauca ex diversis locis neglegenter composita sunt, vix quidquam invenitur, quod melioris scripturae memoriam continere videatur. nam casu factum est vel studio excerptoris, non fide veteris exemplaris, quod p. 23, 17 omissa sunt verba ab illo loco aliena *in comoedia scriptum erat ellum: non recte vos fecistis illum: est enim en illum*, quae ipse Hertzium secutus seclusi. p. 23, 22 si recte indicata est Vaticani codicis scriptura, *inde* in illo legitur, non *unde*, quod est in veteribus libris. p. 26, 7 recte scripta sunt haec, *sorix vel saurix avis tributa Saturno ab auguribus, quia et tarditati et vetustati et senectuti convenit.* cum in veteribus libris legatur *sorix autem saurix* et omissa primo loco *et* coniunctione *quia tarditati.*

I. Scholae Theologorum.

a. Professorum ordinariorum.

F. AUGUSTUS THOLUCK, Dr.

I. Publice *examinatorium exegeticum* instituet semel p. hebd. d. Sat. h. XII-I.
II. Privatim *Theologiam biblicam Novi Testamenti* docebit quinquies h. XII-I.
III. In seminario regio theologico *exercitationes exegeticas Novi Testamenti* moderari perget.

JULIUS MUELLER, Dr.

I. Publice *nonnullas Scripturae S. pericopas* in usum ecclesiae selectas explicabit d. Sat. h. XII-I.
II. Privatim *Ioannis evangelium* interpretabitur sexies p. hebd. h. X-XI.

JUSTUS LUDOVICUS JACOBI, Dr.

I. Publice *historiam dogmatis traditionis et Scripturae Sacrae* enarrabit d. Sat. h. XII-I.
II. Privatim 1) *historiam dogmatum* enarrabit sexies p. hebd. h. XI-XII. 2) *introductionem historicam et criticam in libros Novi Testamenti* tradet quater p. hebd. h. XII-I.
III. In seminario regio *exercitationes historicas* moderari perget.

CONSTANTINUS SCHLOTTMANN, Dr.

I. Publice *geographiam biblicam* docebit d. Merc. h. VIII-IX.
II. Privatim 1) *librum Iobi* interpretabitur quater p. hebd. h. IX-X. 2) *archaeologiam Hebraicam* tradet quater p. hebd. h. VIII-IX.
III. In seminario regio theologico *exercitationes exegeticas Veteris Testamenti* moderari perget.

JULIUS KOESTLIN, Dr.

I. Publice ex instituto Lenziano 1) *primam Ioannis epistolam* interpretabitur d. Iov. h. VII-VIII. 2) de *religione, revelatione, Sacra Scriptura* doctrinam exponet bis p. hebd. d. Merc. et Sat. h. VII-VIII.
II. Privatim 1) *epistolam ad Galatas* exponet bis p. hebd. d. Lun. et Mart. h. VII-VIII. 2) *theologiam dogmaticam* docebit h. VIII-IX.
III. In seminario regio theologico *exercitationes systematicas* moderari perget.

WILIBALDUS BEYSCHLAG, Dr.

I. Publice *epistolam Iacobi* explicabit d. Merc. h. VIII-IX.
II. Privatim 1) *epistolam ad Hebraeos* interpretabitur quater p. hebd. h. X-XI. 2) *theologiae practicae partem priorem* tradet quater p. hebd. h. VII-VIII.
III. In seminario regio theologico *exercitationes homileticas et catecheticas* moderari perget.

EDUARDUS CAROLUS AUGUSTUS RIEHM, Dr. DECANUS.

I. Publice *historiam artis hermeneuticae in Vetere Testamento factitatae* enarrabit bis p. hebd. d. Merc. h. III-IV et d. Sat. h. IX-X.
II. Privatim *Psalmos* interpretabitur quinquies p. hebd. h. IX-X.
III. Privatissime et gratis *societatis Veteris Testamenti studia colentis* exercitationes moderari perget.

b. Professorum extraordinariorum.

HENR. ERN. FERD. GUERICKE, Dr.
I. Publice *epistolam Pauli ad Philemonem* interpretabitur d. Sat. h. XI-XII.
II. Privatim *historiae ecclesiasticae partem priorem* enarrabit quinquies p. hebd. h. XI-XII.

CHR. LEBR. FRANKE, Dr.
Scholas non habebit.

AUG. FERD. DAEHNE, Dr.
I. Publice *epistolam Pauli ad Galatas* latino sermone interpretabitur bis p. hebd. d. Lun. et Iov. h. VII-VIII.
II. Privatim *epistolam Pauli ad Romanos* explicabit quotidie h. X-XI.

GUSTAVUS KRAMER, theol. et phil. Dr.
I. Privatim *paedagogices recentioris historiam* enarrabit bis p. hebd. d. Mart. et Ven. h. V-VI.
II. In seminario regio theologico *exercitationes paedagogicas* moderari perget.

MARTINUS KAEHLER, Lic. theol.
I. Publice *historiam ethices* adumbrabit bis p. hebd. d. Merc. et Sat. h. IX-X.
II. Privatim *theologiam ethicam* docebit sexies p. hebd. h. VIII-IX.

THEODORUS BRIEGER, Lic. theol. et Dr. phil.
I. Publice *de Pio IX. Papa* disseret d. Merc. h. XII-I.
II. Privatim *historiae ecclesiasticae universalis partem secundam* enarrabit quater p. hebd. h. IX-X.

c. Licentiati privatim docentis.

MAXIMILIANUS BESSER, Lic. theol.
Gratis *de vita et doctrina Schleiermacheri* disseret bis p. hebd. d. Merc. et Sat. h. X-XI.

II. Scholae Iurisconsultorum.

a. Professorum ordinariorum.

CAROLUS WITTE, Dr.
I. Publice in seminario iuridico *tituli Digestorum de usuris* interpretationem moderabitur semel per hebd h. defin.
II. Privatim 1) *historiam iuris Romani* enarrabit quotidie praeter d. Mart. h. XII-I. 2) *ius commune Borussicum* comprehenso *iure familiarum et hereditario* docebit quotidie p. hebd. h. VII-VIII.

AUGUSTUS ANSCHUETZ, Dr.
I. Publice *ius cambiale* tradet de Merc. h. XII-I.
II. Privatim 1) *ius commerciale* docebit d. Lun. Mart. Iov. Ven. h. XII-I. 2) in seminario iuridico *iuris civilis exercitationes practicas* moderabitur d. Mart. et Ven. h. V-VI.

HERMANNUS FITTING, Dr.
I. Publice *praecepta iuris Romani de ordine iudiciorum privatorum* tradet d. Sat. h. X-XI.
